EXERCITIUM JURIDICUM

De

FIDEJUSSORIBUS,

Quod

Ex decreto & authoritate Magnifici, Nobiliſsimi & Ampliſsimi JCTORUM *Ordinis,*

PRÆSIDE

Viro Magnifico, Ampliſſimo, Excellentiſſimo & Conſultiſſimo

DN. PETRO THEODORICO,

Hæreditario in Groß Löbichaw / Conſiliario Saxonico celeberrimo, Anteceſſore eminentiſſimo, p.t. ProDecano ſpectatiſſimo, Juridicæ Facultatis Seniore meritiſſimo, Curiæ Provincialis & Scabinatus Aſſeſſore graviſſimo,

Præceptore, Patrono & Promotore ſuo omni honoris & reverentiæ cultu jugiter mactando & proſequendo,

Publicæ diſcuſſioni ſubjicit

Ad diem 25. Julii

Hora locoque conſveto

THEODORUS GEBHARD,

Cygneâ Miſnicus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

JENÆ

Literis Weidnerianis,

Anno MDCXXXV.

QUod ſuis dogmatibus ſemper Deorum invocationem præfigere ſoliti ſint, haud immeritò laudibus majores extolluntur, quorum veluti veſtigiis inſiſtens, & ne ut porci in roſas irruere videar, fauſtum felixq; mei inſtituti ab omnipotente auſpicium precor, cujus favore, & auxilio ad omnes actus & conſilia progredimur *l. 2. C. de offic. præf. prat. Afr. Nov. 6. in pr.* res quoque arduæ & coram hominum oculis deſperatæ perfici poſſunt, *§. 1. & 2. Inſt. proœm.* Cum autem ſatius ſit, pauca utiliter effundere, quam multis & inutilibus hominum aures prægravare *l. 2. §. 16. C. de jure vet. enucl.* proinde rationem mei propoſiti diu haud detectam nolo, materiam fidejuſſionis puta cùm dignitate, tùm utilitate & frequentiâ eam metiens ſub incudem revoco, imprimis tamen motus JCt. Pauli admonitione *in l. 25. ff. de libertat. legat.* quod in omni tractatione quotidiana & in foro utilia tractandi potiſſima cura & ſtudium ſit, eaque ſæpius attingenda. Pigeat enim quemlibet in re abuſu fori remotiſſima multum operæ collocare, *teſte Weſemb. in parat. in fin. de vulg. & pupill. ſubſtit. & ibi allegato Catullo.* Turpe eſt difficiles habere nugas & ſtultus labor eſt ineptiarum. Utilitatem autem iſtius materiei magnam ineſſe cõmendatione prolixà non opus habeo, ſiquidem fides veritatis verborum adminicula non deſiderat *l. 1. C. ſi minor ab hæred. ſe abſtin.* & utilitas ſeipſam ſatis commendat *l. 1. ff.*

de in integr. reſtit. Methodo igitur non quidem ad amuſſim Logicorum limata, ſed pro tenuitate ingenii mei obſervatâ hanc materiam leviter & breviter ſum tractaturus, quam quoq; ſi quædam pingvi Minerva tractentur, veniam merituram ſpero.

THESIS I.

Defin. IN limine iſtius tractatûs ſtatim in conſiderationem venit notatio Rei, omiſſa nominis quæ ante ſatis clara, quã DD. ita reddunt: Quod fidejuſſores ſint, qui ſolenni ſtipulatione interveniente fidem ſuam ad majorem creditoris ſecuritatem ita pro alio interponunt, ut principalis debitor nihilominus maneat obligatus, *pr. Inſt. de fidej. l. 1. §. 8. ff. de O. & A. l. 4. §. 23. C. h. t. Schneidw. n. 11. Inſt. de fidejuſſor. Treutl. th. 1. h. t.*

II.

Sumuntur autem in jure fidejuſſores vel ſpecialiter & propriè, uti hîc, vel largè pro eo, qui pro altero ſe debitorem conſtituit, cujus acceptione expromiſſor, mandator, conſtitutor & appromiſſor continetur *l. 2. §. 1. ff. ad SCt. Vellej. l. 5. §. 2. ff. de V. O. l. 43. ff. de ſolut. l. ult. ff. quod cum in eo qui in alter pot.* inde fidejuſſor vocatur mandator *l. 71. §. 1. ff. de fidej. l. 23.* C. *d. t.*

III.

Differentiam in Expromiſſore, Conſtitutore & Mandatore certam ac veram eſſe ſtatuunt *Weſembec. in parat. n. 2. h. t. Treutl. vol. 2. diſp. 28. th. 1.*

IV.

Expromiſſor paſſim auditur, qui principalis debitoris obligationem novatione facta in ſe derivat, eamque omninò tollit, *l. 4. ff. de condict. causâ dat. causâ non ſecut. l. 37. in fi. ff. de oper. libert. & ibi Gothofr.* ubi reus expromiſſorem dando liberatus dicitur & expromiſſor hac de cauſa in ſpecie reus appellatur, *l. 7. §. 8. ff. de dolo malo. Cujac. ad d. l. 7. § 8. ff. de dol. mal.*

V.

V.

Conſtitutor eſt, qui nulla ſtipulatione interveniente pro alio ſe ſoluturum eſt obſtrictus, & nudo pacto & epiſtola conſtitutum perfici poteſt *l. 26. ff. de conſt. pecun.* §. 9. *Inſt. de action.* unde actio prætorea de conſtituta pecunia datur, in fidejuſſione civilis.

VI.

A mandatore quatenus fidejuſſorem ſeparari patet evidenter 1. Fidejuſſor non niſi præſens conſtitui poteſt, quia per ſtipulationem ut ſupra dictum, celebratur, quæ inter abſentes locum ſibi non vindicat, §. *item verborum Inſt. de inutil. ſtip.* Mandator verò non modò præſens ſed & abſens mandare poteſt, ſolo enim conſenſu contrahitur *l. 1. pr. ff. mand.* 2. Fidejuſſor alieno, mandator verò proprio nomine eſt obſtrictus, præſupponit enim fidejuſſio aliquam obligationem, cui accedit, mandatum propriam inducit, & ſic novam. Illam tamen differentiam ut conſtituam ſupervacuum & non adeò neceſſarium eſt, quippe quæ non adeò ſit accurata: Quod nimirum mandatum ſemper obligationem præcedat, fidejuſſio & præcedat & ſequatur § *fidejuſſor 3. Inſt. h. t.* Licet enim reſpectu quodam hoc ſalvari poſſit, quod rectè præcedat, rectè quoq; & illud, quod ſequatur. Fidejuſſio præcedit fictione aliqua Juris, & verborum conceptu ſub conditione quadam tacita ſi futura aliqua ſit obligatio principalis, quâ deficiente & acceſſoria juris effectu deficit *l. 6. l. 57. ff. de fidejuſſ. Dn. D. Ortolphus Fomannus p.m. Ordinarius, preceptor meus perpetua memoria devenerandus in diſp. 21. th. 8. Inſtit.* ſiquidem eſt acceſſoriæ naturâ ſequi, ſic mandatum ſequitur. Quamvis ratihabitio mandato comparatur *l. ſemper qui non §. 1. ff. de R. J.* Nec hoc eſt novum aut infrequens, ut ea quæ ratione & ordine temporis poſteriora ſunt, intellectu Juris priora & viceverſa ſint §. 34. *Inſt. de leg. l. 5. ff. de pign. & hypoth. Hunnius ad Treutl. q. 4. de fidejuſſoribus.*

VII.

Appromiſſorem quamvis latius patere videatur, tamen revera cum fidejuſſore ſæpiſſimè convenire, & pro eodem accipi multis contextibus probatur *l. 64. §. 4. ff. ſolut. matrim. l. 5.*

§. 2 *ff. de V. O. l. 43. ff. ſolution. Bocerus diſp. 17 th. 2. lit. F.*

IIX.

Differentia inter ſponſorem & fidejuſſorem, quod nimirũ ſponſio fit absq; rogatu, fidejuſſio cum rogatu, *à Schneidw. in pr. n. 4. Inſt. h. t.* poſita non agnoſcitur vera. Nam ſpondere & fidejubere cuicunque ſtipulationi propria eſſe non dubitatur, *§. 1. Inſt. de V. O.* fidejuſſor quoque ſpontè intercedit, quando ſe ultrò pro altero obligat, ad quod tamen nulla juris neceſſitate tenebatur, de hoc quid ulterius ſit dicendum videantur *Gæddæus & Alciatus ad l. ſponſio 7 ff. de V. S.* ſed quia ſæpiſſimè in verbis ludendo realia ſeponuntur, ſtatim igitur fidejuſſores in dichotomiam redigens conſidero eos primùm ut conſtituendos & conſtitutos.

IX.

Omnes autem conſtitui poſſe ſatis conſtat, niſi expreſsè legibus prohibentur, *arg. l. 12. in pr. & §. 2. ff. de judic.* Lex enim permittit vel prohibet *l. legis 7. ff. de LL.*

X.

Conſtituuntur fidejuſſores in omnibus obligationibus ſive principalibus ſive acceſſoriis, *l. græcè 8. § fin. l. 27. §. ult. ff. de fidejuſſ. Bocerus diſp. 27. th. 24. ff. ad h. t.* appellat qui pro acceſſoria intercedunt, ſuccedaneos & ſubſidiarios fidejuſſores, *Schneidw. n. 6. §. 1. h. t.* vocat **Schadlosbürgen oder Rückbürgen**/ qui ſanè reſpectu acceſſoriæ ut reus habetur. Non enim datur diviſio inter has perſonas nec creditori illud beneficium obtrudi poteſt, *d. l. 27. §. ult. ff. h. t. Bachov. ad Treutl. th. 3. h. t.*

XI.

Per ſolennem ſtipulationem, quæ importat interrogationem in fidejuſſione ſemper neceſſariam eſſe *§. fin. Inſt. de fidej. l. 42. 47. 51. ff. & l. 12. C. h. t.*

XII.

Solenniter quoque fidejuſſionem eſſe contractam de jure præſumitur, ſcripturâ aliquâ fidejuſſoris conventionem certiorante *d. §. f. Inſt. h. t.* ſicuti quando ſcriptum aliquem promiſiſſe

ſiſſe videtur ſemper ſolennis ſtipulatio interveniſſe §. *16. Inſt. de inutil. ſtip. l. 134. §. pen. ff. de V.O.* Rationem iſtius Donellus dat, quia in jure hæc interpretatio ita ſit recepta, ut nomina cum effectu accipiantur, *l. 1. § 2 ff. quod quisq. jur. in alt. ſtat.* ſic condemnatus is accipitur, qui ritè eſt condemnatus in *l. 4. §. 6. ff. de re jud.*

XIII.

Sive obligationes quibus fidejuſſoria accedit, promanant ex contractu vel quaſi, ſive ex delicto vel quaſi originem ſuum acceptum habent.

XIV.

Contractus quibus accedunt fidejuſſores vel ſunt legitimi & jure approbati, vel ſunt improbati. Priori modo veniunt contractus emptionis venditionis, loc. & mutui nec refert qualisnam obligatio ex his enaſcitur ſive ſit Naturalis ſive Civilis, *l. 7. l. 16. § 3. ff. de fidej.*

XV.

Naturalis eſt, quando pro pupillo fidem ſuam quis interponit *l. Marcellus 25. ff. de fidej. l. 1. §. ult. ff. de novat. l. 16. §. 3. h. t.* Item pro ſervo quibus in caſibus fidejuſſor & naturaliter & civiliter tenetur, in tantum ut moriens heredes ad præſtandum & ſolvendum promiſſum obligatos relinquat § *2. Inſt. h. t. l. hoc jure 152. § f. l. adeò 157. §. 1. ff. de R J.* De ſervo dico quod verum ſit, ſi ejus obligatio ſit extra rem peculiarem, nam regulariter ſervus in negotiis civilibus pro nullo & mortuo habetur *l. quod attinet ff. de R. J.* Secus quatenus peculiari a bona decernit, ex quorum negotiis ſervum & civiliter obligatum agnoſcimus *l. 19. ff de fidej.* & Dominus ignorans hoc in caſu convenitur actione de peculio, quoniam ſemel & in genere concedendo peculium, facultatem etiam contrahendi permiſiſſe intelligitur *l. 1. §. 5. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* & conceſſo uno ſimul conceduntur omnia ſine quibus illud expediri non poteſt, *l. 2. ff. de juriſdict. Bach. ad Treutl. tb. 2. h. t.* Naturalem tamen obligationem non hîc intellectam volo eam quæ in nudis & meris naturalibus acquieſcit, & nullo jure tantam vim obtinet, ut condictionem indebiti impediat, hujusmodi obligationi haudquaquam

quam rectè accedit fidejuſſor *Ludov. Gremp. in tract. method. Codicis ad h. t.* ſed quæ non eſt in jure planè inefficax, ut impediat repetitionem indebiti ſoluti per errorem Juris *l. 7. ff. de fidej.*

XVI.

Civilis, ut pro eo qui jure contrahere & firmiter ſe obligare poteſt, item pro prodigo ante interdictionem contrahente *arg. l. 18 ff. de teſtam.* cui verò bonis interdictum eſt ob ademptam liberam bonorum adminiſtrationem, ne naturaliter quidem obligatur unde nec fidejuſſor rectè intervenit *l. 6. ff. de V. O.* Contrahendo tamen alios ſibi obligatos facit, & bona acquirit *d. l. 6. de V. O.* & ratio hæc eſt, quia quod in favorem alicujus introductum eſt, ut ſc. alienare & diminuere bona non poſſit, non debet in ejus odium detorqueri, *l. quod favore 6. C. de LL. l. nulla juris 25 ff eod. tit.* Item pro furioſo dilucida intervalla non habente, quod tamẽ reſtrictionem patitur, quatenus obligatio dependet à re. *l. 70. §. 4. de fidej. l. furioſus 46. ff. de O. & A.* puta quando res hæreditaria eadem pluribus eſt relicta vel teſtato vel ab inteſtato ut ſuis hæredibus *l. 48. ff. fam. bercis.* unde his competit actio famil. erciſc. *l. 1. & 2 fam. erciſc.*

XVII.

Improbati contractus appellantur 1. quæ circa res turpes verſantur *l. generaliter 26. ff. de V. O. l. 70. §. ult. ff. h. t.* quæ prohibet fidejuſſorem maleficii faciendi promiſſori accedere, nam cum principalis cauſa non conſiſtit, ne ea quidem quæ ſequuntur locum habent *l. cum principalis ff. de R. J.* nec pacto quidem effici poteſt quod currit contra juris civilis regulas, leges & mores *l. 7 §. ait Prætor 7. & l. 28. ff. l. ult. C. de pact.* quod verò contra leges fit pro non facto habetur *l. non dubium 5. C. de LL.* 2. Circa impoſſibiles *l. impoſſibilium, l. quod nullius ff. de R. J.*

XIIX.

3. Maritus pro conſervatione dotis fidejuſſorem adhibere invitus non tenetur, & uxor vel ejus cognati prohibentur exigere fidejuſſorem à marito *l. 1. & 2 C. ne fidej. vel mand. dot. nom. dent.* Illudque ob approbatam & juſtam rationem, ne

cau-

cauſa perfidiæ inter conjuges generaretur & conjugalis concordia inter eos conſervaretur, quæ aliàs omni lucro eſt præferenda, *l. 5. C. de inſtit. & ſubſt.* accedit quod uxor ſe totam marito committit, quidni & rei dotalis liberam adminiſtrationem marito relinquat, imprimis cum in fidejuſſore dando aliqua contumelia ineſſe videatur, proinde exigendo fidejuſſorem uxor contra reverentiam quam debet marito, *l. 14. §. 1. ff. ſolut. matrim.* faceret.

XIX.

Notandum hîc obiter, quod ad hanc claſſem contractuum improbatorum dotem refero, quatenus ſtipulatione perficitur, ut *tot. tit. C. de dot. promiſſ. Weſenb. in parat. n. 4. de jure dotium*, nec mens mea eſt quaſi hujusmodi contractus ſimpliciter & indifferenter ſit improbatus, ſed ſecundum quid, ſcil. quatenus prohibetur ne exigatur fidejuſſor. Diverſa enim rei conſideratio diverſam quoque appellationem recipit. Sic reſpectu originis à quo proficiſcitur eſt donatio & conventio, ſed intuitu formæ eſt contractus *Giphan. diſp. 12. theſ. 2. Inſt. de donationibus.*

XX.

Limitatur tamen ſupra dicta aſſertio duplici modo: 1. Si maritus dotis nomine fidejuſſorem volens dederit *arg. l. pen. C. de pact.* ſiquidem ſuſpitio diffidentiæ hic ſopit, nec iniquè uxor facit oblatam cautionem accipiendo, quia multa inhoneſtè petuntur, honeſtè tamen accipiuntur, *l. 1. § 5. ff. de extraordin. cogn. Diſſ Fachin. libr. 8. controv. c. 76.*

XXI.

2. Si maritus vergat ad inopiam *arg. l. ubi adhuc conſtituto 29. C. de jure dotium*, ſive ex propria culpa, ut ſi omnem ſubſtantiam bonorum dilapidet, ſive extra culpam facultate labatur, forte fatali ſorte conſumatur, rapinis, incendio, &c. *Treutl. ib. 3. & ibi Hunnius b. t.*

XXII.

Improbantur 4. contractus cujus obligatio jamjam eſt præſcripta, in quibus fidejuſſoris interventus fruſtrà expe-

ſtatur, præſcriptione enim temporis uti notum eſt ab obligatione diſcedimus, *l. 37. ff. de fidejuſſ.*

XXIII.

De veris contractibus hæc ſufficiant, breviter de quaſi contractibus, qui ſunt pro tutela, negotiis geſtis, familiæ erciſcundæ, communi dividundo, &c. *tot. tit. ff. de fidejuſſ. & mand. tutor. vel curat.*

XXIV.

Præmiſſam prioris membri conſtituendorum circa contractus vel quaſi partem ſequuntur delicta ſive crimina, quibus quoque fidejuſſores aſpirare & accedere poſſunt, ſic ex furto obligatus fidejuſſoriam cautionem rectè dat *l. 8. § 5. l 70. §. fin. ff. de fidejuſſ Jul. Clar. in pract. crim. q. 46, n. 18. 19.* ubi plura exempla & DD. inducuntur.

XXV.

Ex quaſi delicto fidejuſſores admittuntur, ut ſi aliquid dejectum fuerit, vel quid in navi vel caupona ab exercitatore navis & cauponæ delictum fuerit.

XXVI.

Alterum membrum conſtituendorum nunc tractandum venit, quod nimirum omnes conſtitui poſſint, niſi expreſsè prohibeatur. Prohibentur fidejuſſionis cauſam ſubire vel 1. ob impedimentum aliquod naturâ dependens, ut ſunt dementia, furor continuus non remiſſus: 2. vel ob impedimentum aliquod jure civili dependens & approbatum, quod contingit vel à ſpeciali & expreſsè denominato privilegio, vel à communi & non ſpecialis appellationis beneficio.

XXVII.

Prioris conditionis eſt SCtum Vellejanum, quod Mulieribus in favorem fragilitatis ſexus captionibus hominum ſæpiſſimè expoſitæ eſt indultum *l. 1. l. 2 §. 2. & ſeqq. ff. ad SCt. Vellej.* & licet cum alio ſimul fidejubeant, ipſæ tamen non obligatæ obligatum in ſolidū alterū relinquunt, nec jura hoc in paſſu connivent, uti in minore interdum fit, ſed actionem in ſolidum effectualiter permittunt, *l. ſi Titius 48 ff. de fid.* ſibi igitur imputet

fidejuſſor, quod cum his ſimul fidem ſuam interpoſuerit, nec ſe ulla juſta & prægnanti ignorantiæ cauſa ſalvabit, ſiquidem ſexus fœmineus eſt ſatis ſuperque apertus, & notus, & paria ſunt ſcire aut ſcire oportere *l. qui fundum 7. § 2 ff. pro emptore*, cujus conditionis ſit cum quo quis contrahit, *l. qui cum alio ff. de R. J.*

XXIIX.

Renunciato tamen beneficio SCti Vellejani, uti optime poteſt, rectè pro alio mulier intercedit, *arg. l. 31. ff. ad SCt. Vellej. l. pen. C. de pact.* & pro re propria rectè fidejubet per *l. 2. 4. & fin. ff. ad SCt. Vellejan. l. 8. §. 1. ff. quis ſatisd. cog.* licet non de jure valeat illa fidejuſſio pro ſe facta, *l. 21. §. 2. ff. de fidejuſſ.* & fidejuſſor in rem ſuam ſpondens hoc caſu pro reo accipitur, & pactum cum eo factum, cum reo eſſe factum videtur, *l. ſed ſi 24 ff. de pact.* tamen uno reſpectu poteſt quis ad debitum eſſe obſtrictus & alio fide ſua eſſe jubere, *d. l. 8 §. 1. ff. de his qui ſatisd. l. 8. C. quod cum eo &c. Coſtalius ad l. 29. ff. de inſti. action.*

XXIX.

Ad renunciationem quo effectum ſuum legitimum ſortiatur, non deſideratur num judicialiter vel extra judicialiter ſit facta, requiritur tamen ut uxor iſtius beneficii ſit certiorata *Bocer. diſp. 27. th. 5.* probaturque ſimiliter *l. 8 § 10. ff. ad SCt. Vellej. l. 31. & ult. § pen. ff. h. t. l. 20. C. h. t. Gail. lib. 2 obſerv. 77. n. 3.* contrariam ſententiam hic fovet *Herm. Gœhauſ. quæſt. 37. part. 1 pericul. academ.* qui quidem judicialem committit ob authoritatem judicis, extrajudicialem verò remotam & excluſam vult.

XXX.

Sit adhuc quinque caſus paſſim in ff. & C. excepti occurrunt & reperiuntur, qui hisce verſiculis continentur:

Caſibus in ſenis mulier ſpondendo tenetur

Pro libertate & pro dote, renunciet et ſi

Decipiat, pretium capiat, caveatque ſecundo.

Pro libertate *l. 24. C. ad SCt. Vellej.* pro dote *l 12. & fin. C. ad SCt. Vellej.* Si decipiat *l. cum ad eas 19. C. ad SCt. Vellej.* jura enim non decipientibus ſed deceptis ſuccurrunt. *l. 2. §. 3. ff. d. t.*

& fraus infirmitatem ſexus vel ætatis non excuſat, *l. 1. C. ſi minor ab hæred. ſe abſtin:* ne alicui calliditas ſua lucro ſit *arg. l. ſed etſi 11. ff. ad exhibend.* ſi precium capiat *l. antiqua 23. in pr.* C. *h. t.* caveatque ſecundo *l. 32. C. ad SCt. Vellej.*

XXXI.

Poſterioris generis quod communiter à fidejuſſione prohibentur: 1. Servus qui reſpectu Domini obligari non poteſt; conditio enim Domini melior non deterior per ſervos fiat *l. melior ff. de R J.* 2. Milites, ne armorum uſu omiſſo & privatis negotiis occupati Reſpublica damnum ſentiat *l. 31. C. loc. & cond.* quod & de hodiernis militibus ſtatuendum rectè putat *Bachov. ad Treutl. diſp. 28. th. 2. lit.* C.

XXXII.

Tranſacto igitur priori dichotomiæ membro neceſſe habeo, ut ad alterum quod eſt de conſtitutis me accingam, conſtituti fidejuſſores iterum tripliciter conſiderantur, 1. ut ſunt privilegiati, 2. ut non privilegiati, 3. ut ſunt iterum ab obligatione liberandi.

XXXIII.

Privilegia quæ fidejuſſoribus competunt ſunt triplicia; 1. Beneficium excuſſionis ſive Ordinis, quod tantum operatur, ut non prius niſi excuſſo reo principali fidejuſſor conveniatur, & ad ſolutionem cogatur *Auth. præſente C. de fidejuſſ.* quod ſumma æquitatis ratione nititur, cujus ſemper maximus ſit reſpectus *l. placuit. 8. C. de jud.* quia fidejuſſor ex benevolentia pro alio ſe devincit; nec ideò fidejuſſor in mora conſtituitur; ubi enim non competit petitio ibi mora non intelligitur, *l. nulla intelligitur 88. ff. de R. J. Magnificus, Ampliſſimus & Conſultiſſimus Dn. Dominicus Arumæus D. Ordinarius meritiſſimus, Præceptor & Promotor meus ſummo reverentiæ, & filialis obſequii cultu mactandus c. 1. n. 7. in comment. de mora.*

XXXIV.

2. beneficium eſt diviſionis, per Epiſtolam D. Adriani datum ad confidejuſſores vigorem ſuum extendit, qui pro eadem

per-

perſona fidejubendo ſinguli in ſolidum obligātur, §. *ſi plures 4. Inſt. de fidej.* unde rectè confidejuſſores ſalutantur, *l. plures 27. §. fin. ff. de fidej. Schneidw. ad §. ſi plures n. 17. h. t.*

XXXV.

3. Eſt cedendarum actionum, quando dies venit, (veniſſe diem ſignificat eum diem veniſſe, quo obligatio firmiter effectum ſuum ſortitur & debitum exigitur, *l. cedere ff. de V. S.*) & fidejuſſor ſive conventus & condemnatus ſive ultrò debitum ſolvendo pro principali paratus invenitur, compellere poteſt creditorem, ut actiones ſibi cedat, *l. fidejuſſoribus 17. l. cum is 36. ff. de fidej.*

XXXVI.

Primò privilegiati vel privilegiis gaudent 1. qui ſe principalem conſtituerunt debitorem, hic quamvis de eo maxima ſit DD. controverſia, nihil ominus competit beneficium excuſſionis ſive ordinis *Schneidw.* §. *4. n. 11. Inſt. h. t.* licet contrariam opinionem *Gail. lib 2. obſ. 28. n. 6.* veriorem & in hodierno foro frequentiorem eſſe doceat, *Ritterſh. in* § *2. 5. & 7. Inſt. h. t.* ſemel hanc amplexam ſententiam & profeſſam ſtatim in eodem loco revocans contrariam ſtatuit.

XXXVII.

2. Si in omnem cauſam ſeſe pro alio obligaverint *l. 54. ff. locat. & cond.* cujus promiſſionis genere in id omne quod ex principali obligatione, cui accedit, naſci poteſt, ſeſe adſtringit, *l. 56. ff. de adil. edict. l. 91. §. 4. ff. de V. O. l. 56 §. 2. ff. de fid.* Hinc uſuræ quoque præſtandæ veniunt *l. 68. §. 1. ff. de fidejuſſ.* quæ res tamen diſtinctione optimè deciditur *à Coſtal. ad l. 7. ff. de eo quod cert. loc. & ad l. 54. ff. loc. Facb. lib. 7. controv. c. 57. lit. B. Joh. Coraſ. lib. 2. c. 12. miſcellan.*

XXXIIX.

3. Si in majorem quantitatem vel ſummam: de eo tamen magnum volvitur dubium num in majorem ſummam acceptus quoad totam vel quoad partem concurrentem, i. e. non excedentem ſit obſtrictus, vel an in totum vitiata & nullius mo-

ſtenti ſtriſt. obligatio Illud mihi potiſſimum ſtatuere arrideт, quod hoc in paſſu obligatio vigorem ſuum extendat ſaltem ad partem debitam & interrogatam, non verò ad excedentem ſummam cujus reſpectu eſt nulla. *Weſ. n 5. ff. h. t. Dn. Ludwell. diſp. 12 th 7. lit. I. l. 1. § 4. ff. de V O.* Hic igitur ſaltem quæſtionem hanc motam volo, quando eandem ſummam cum debito interrogante creditore fidejuſſor majorem promittens ad cōcurrentem obligatur. Quid verò juris, quando in plus à creditore, quam ſibi a reo principali debetur, rogatus in illud ſe obligat fidejuſſor, videatur *Magnif. & Ampl. Dn. D. Frantzkius in tract. 10. quæſt. 7.*

XXXIX.

4. Licet jurejurando præſtito alterius obligationi acceſſerit, tamen illud non eximit jurantem beneficio excuſſionis. Nam juramentum tale non operatur effectum extenſivum ſed intenſivum, i.e. firmius obligatum reddit, quod fieret ſi prius convenire poſſit fidejuſſor. *Fachin. lib. 3. contr. c. 15.*

XL.

Secundò non privilegiati ſive non gaudent privilegiis ſuprà dictis fidejuſſores ex pluribus cauſis, quæ, quatenus omnia beneficia & quatenus quædam perdant, ſeorſim conſiderari poſſint, ſed ne diviſionis præter neceſſitatem & ultrò modum exerceſcant, eas commixtim tradendi animus eſt, ſub hanc diſtinctionem optimè redigendo, nimirum privantur & non gaudent vel proprio facto & culpa, vel extra culpam & per factum alienum & caſum aliquem.

XLI.

Proprio facto & culpa 1. eſt inficiatio, quando fidejuſſor ſemel revera alterius obligationem ſuſceptam poſteà interpellatus à creditore denegat, tunc mendacii puri putique evictus non amplius beneficium diviſionis creditori obtrudere poteſt, *arg. Auth. contrà qui propriam C. de non numer. pec. l. ſi dubitet 10. §. 1. ff. de fidej. ibi* Inficianti ibat auxilium diviſionis non eſt indulgendum [illegible] *obſ. 15.* ubi plures exceptiones allegat. Patet igitur ex eo cuilibet quamnam inficiationem hic

 in-

intelligi ſc. quæ ſimpliciter eſt facta; Reſtricta enim ad exceptionem fortè aliquam aut in litis conteſtatione, negando narrata prout narrantur, nihil detrimenti beneficio diviſionis infringit *Schneidw. ad §. 4. n. 10. h. t.* Diviſioni verò non datur locus inter fidejuſſorem principalem & ejus fidejuſſorem, *l. 27. §. ult. ff. h. t.* nec inter diverſorum debitorum fidejuſſores, hi enim confidejuſſorum nomine non gaudent. Sic favor pupilli limitationem quoque inducit, contra quem beneficium dividendæ actionis injuriam habere viſum eſt, quia ipſe contractum non celebravit & ignorat omnia, *l. ult. ff. rem pupilli ſalv. for.*

XLII.

2. Animadvertitur culpa & negligentia fidejuſſoris in non opponendo beneficium excuſſionis ante litis conteſtationem, ſemel enim accepto judicio, uti rectè per litis conteſtationem fit, partes litigantes invicem quaſi contraxiſſe dicuntur, *l. licet tamen 3. §. idem 11. ff. de pecul.* proinde ab hujusmodi contractu perfecto altera, invitâ alterâ diſcedere nequit, cum conſenſu contractum diſſenſu diſſolvitur, nihil n. tàm naturale eſt eodẽ modo quicquid diſſolvere, quo colligatum eſt, *l. nihil tàm ff. de R. J.* Accedit quod fidejuſſor ipſo jure obligatus primùm conveniri poteſt, niſi beneficium excuſſionis creditori remoram injiceret, ſed quod ei fidejuſſor in tempore non utitur, ſibi & ſuæ negligentiæ imputet, vigilantibus enim non dormientibus jus eſt præſcriptum *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. cred. fact. Gail. libr. 1. obſ. 52. n. 2. Schneidw. §. 4. n. 14. Inſt. h. t.*

XLIII.

Ab hac tamen ſententia in beneficio diviſionis recedendum eſt, quod etſi lite conteſtata, nihil tamen impedimento eſt, quò minus adhuc poſt litis conteſtationem objici poſſit per *l. fidejuſſor 10. §. 1. C. de fidej. Hackelm. diſp. 22. th. 19.*

XLIV.

Utilitas autem oppoſitæ exceptionis diviſionis in eo quoque potiſſimum reperitur, quod hâc oppoſitâ ante litis conte-

mentum ſolius creditoris ſit, hâc verò non oppoſita vel nondum lite mota onus unius ad confidejuſſores ſpectat *l. 16. C. de fidej. l. inter eos 51. §. pen. ff. h. t. Ruersbuſ. ad §. ſi plures Inſt. h. t.*

XLV.

3. Fidejuſſor non gaudet beneficio cedendarum actionum, quod quidem poſt ſententiam rectè opponitur, *l. 41. §. 1. ff. h. t.* non tamen poſt ſed ante ſolutionem petitur *l. 11. C. de fidej. l. Modeſtinus 76. ff. de ſolv. & liber. l. 39. ff. de fidejuſſor. Ludwell. diſp. 12. th. 8. in fin. Weſ. in parat. n 6. h. t. Anton. Fab. conject. lib. 11. c. 11.* ab hac aſſertione diſcedunt *Coſtal. ad l. 28. ff. mand. Boceerus diſp. 27. th. 16. per l. 36 ff. de fidejuſſ.*

XLVI.

Iſtius autem beneficii ceſſio eſt vel neceſſitatis vel voluntatis. Neceſſitatis ratione creditoris rem debitam & ſolidam ab uno confidejuſſorum petentis. Conventus enim fidejuſſor & petitori ſolidum ſolvendo paratus, creditorem ad cedendas actiones compellere poteſt, *l. 17 l. 36. l. 39. ff. de fidej. l. 11. C. eod. tit.* alias reſpuens repellitur ab actione & intentione ſua per dolum malum, quod ſubtilitate juris fretus aliquid contra naturalem æquitatem deneget, & ſaltem de apicibus juris de quibus illicitum *l. 29. §. 4. ff. mand.* diſputet, imprimis cum ceſſio ſumma in æquitate conſiſtens cedenti non nocet, & fidejuſſori prodeſt *Hunnius quæſt. 42. ad Treutl. h. t.*

XLVII.

Voluntatis reſpectu fidejuſſoris, qui à nemine cogi poteſt, ut jure ſuo utatur, & ceſſionum actionum petat, ſiquidem ſuo jure optimè renunciare poteſt, præſertim cum multis adhuc Juris ſubſidiis ſit munitus. Datur enim 1. nihilominus actio mandati contra principalem debitorem, quæ per non ceſſas actiones non expirat. 2. Conceditur fidejuſſori adhuc negotiorum geſtorum contra confidejuſſores, *l. 2. ff. de neg. geſt. l. 20. §. 1. ff. mandati, Anton. Fab. conj. 11. c. 15.* Nec quicquam me movet quod fidejuſſor urgente neceſſitate, vel neceſſitatis ſuſpitione alterius negotium geſſiſſe videatur per *l. 3. §. 10. ff. de neg. geſt.* ſuf-

fi-

ficit enim quod reliqui confidejuſſores aliquam utilitatem ex negotiis geſtis ſentiant, & agenti interſit *d. l. 2. l. 47. ff. de neg. geſt.*

XLIIX.

4. Beneficia ſuprà poſita renunciatione quoque perdi illud extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, non tamen ſemper beneficiis expreſſa renunciatione opus eſt, ſed interdum tacita præſumitur fortè ipſo facto, quando patitur quis à ſe ſolidum exigi neque exceptionem excuſſionis, diviſionis, cedendarum opponit.

XLIX.

Extra culpam & factum fidejuſſores excluduntur ſuprà recenſitis beneficiis, quando vel principalis debitor, vel confidejuſſor facultate bonorum lapſus adeo ut ne ea quidem quoad partem minimam debiti ſolvendi aliquid faciant, tunc illa indigentia omne removet beneficium, ſicut & omnem excludit actionem & exactionem *l. 6 ff. de dol. mal.*

L.

Fidejuſſor tamen ab initio idoneus datus, poſteà fatali ſorte conſumptus non obſtaculo erit, quo minus redintegrandæ cautioni locus ſit *l 8. § 5. l. 10. § f. ff. qui ſatiſd. cog. Gail. obſ. 29. lib. 2.* Non enim ſufficit cautum eſſe, ſed ut cautum duret, deinde caſus fortuitos & malos mores fidejuſſoris poſteà ſubſecutos creditor præſentire non poteſt, illos enim nullum humanum conſilium providebit *l. 2. §. 7. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pertin.* proinde nec creditori imputandum quaſi ex negligentia vel culpa (quã præcedentem tamen caſus fortuitus non excuſat, *l. 27 § 33. ff. ad L. Aquil.* uti contingit eo in caſu quando creditori ab initio contractus, caſus & mali mores fidejuſſoris ſatis ſuperque conſtabant, ideo merito ei objicitur, *l. qui cum alio ff. de R. J. l. 3. in f. ff. de fidejuſſ. l. 4. ff. ut in poſſ. legat.* l. damnum.

b. t. diſtingvit, Si ambo ſunt abſentes, aut æquali ſunt abſentia & principalis conveniri debeat, aut inæquali tunc ſi locus in quo verſatur principalis debitor, remotior, fidejuſſor prius aggrediatur, quia reputatur præſens reſpectu remotioris, aut fidejuſſor eſt remotior & principalis prior conveniendus eſt.

LII.

Tertiò dictum ſuprà conſtitutos fidejuſſore triplici modo conſiderari poſſe prout ſunt privilegiati & non privilegiati, duobus hiſce membris abſolutis conſidero conſtitutos, ut ſunt iterum ab obligatione acceſſoria liberandi.

LIII.

Liberantur autem fidejuſſores *primò* per ſolutionem debiti, quæ vel facta eſt à principali, vel ab uno confidejuſſorum, vel ab omnibus confidejuſſoribus. Si principalis ſolverit & iterum ſubdiſtingvendum: 1. aut ſolidum & debitum ſolverit, & fidejuſſores liberantur, aut partem ſaltem debiti, & fidejuſſores in reſidium adhuc ſunt obſtricti. 2. Aut ſolidum quidem, rem tamen non debitam & alienam ſolverit, quamvis volenti creditori aliud pro alio rectè præſtetur *l. 2. § 1. ff. de reb. cred.* tunc re evicta & nullis bonis principali exiſtentibus ad fidejuſſores denuo datur regreſſus *arg. l. 26. ff. de ſolut. l. 21 ff. de jure fiſci. Magnificus, Ampliſſimus & Conſultiſſimus Dn. D. Dominicus Arumaeus Ordinarius meritiſſimus exercit. 13 th. 21. Treutl. diſp. 28. th. 7. b. 1.*

LIV.

Si ſolidum ab uno confidejuſſorum ſit ſolutum liberatur quidem vinculo obligationis principalis debitor quô aſtrictus erat creditori ſuo *l. 2. l. 3 §. 1. l. 9. §. ult ff. de duob. reis conſtit.* non tamen eo quo ex alio contractu obligatus eſt fidejuſſori, datur enim adhuc adverſus eum actio mandati, quâ ſibi de indemnitate conſulere poſſunt fidejuſſores cùm ad repetendum ſolutum, tùm ad intereſſe reſarciendum. Uno autem confidejuſſorum electo, & à creditore in judicium tracto & non ſolidũ ſed partem ſolvente ex inſufficientia ſoluti datur adhuc regreſſus ad reliquos confidejuſſores *l. reos 23. & l. generaliter pen. C. de fidej.* quod priori modo optimè procedit, quando pro mandante, ſciente præſente & patiente intervenitur *l. 18. ff. mand.*

ſem-

ſemper enim qui non prohibet pro ſe intervenire mandare, creditor & obſtringitur mandati actione *l. ſemper qui ff. de R. J.*

LV.

Pro ignorante verò & abſente debitore fidejubens & ſolidum ſolvẽs negotiorum geſtorum actionem inſtituere poteſt *l. 4. 5. ff. de neg. geſt. l. 20. §. l. 53. ff. mandat. l. 1. & 2. ff. de neg. geſt. Bocer. diſp. 27. th. 37.* Uti etiam eadem actio competit fidejuſſori adverſus ſuos confidejuſſores, qui ſolutione liberati reperiuntur.

LVI.

Notandum tamen ſuprà dictas actiones ceſſare, ſi fidejuſſor à creditore judicialiter (nam nemo ſibiipſi in propria cauſa jus dicat *l. unic. C. ne quis in propr. cauſa*) conventus ſciens exceptionem quâ ſe & debitorem principalem ſalvare potuiſſet, nõ oppoſuerit. Exceptio enim eſt facti, quâ ſi non oppoſitâ condemnatur fidejuſſor ſiquidem facta non præſumuntur, ſed probari debent, *arg. l. 12. §. 2. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* niſi exceptio exactis conſtat, tunc judex ex officio eam ſupplere poteſt, *Decius ad l. non videtur cepiſſe 13. ff. de R. J. n. 5.* & malè agere dicitur cui obſtat exceptio, nec debetur illud quod perpetua exceptione removetur *ibid. Decius n. 2.*

LVII.

Simili modo ſi condemnatus fidejuſſor appellationis remedio, quo ſententiam ſemel à Judice latam ſuſpendere & infringere potuerit, vel planè non, vel intra non legitimum tempus, quod eſt decem dierum *auth hodie C. de appellat.* uſus fuerit actio mandati expirat *l. 10. inf. C. mandati. Schneidw. ad §. 6. n 6, Inſt. h. t.* nam licet poſteà uti vellet tamen redintegrandæ audientiæ facultas denegatur, *l. 2. C de his qui ob met. jud. non appell.*

LIIX.

l. §. *ſi paſſus 2. ff. mand.* hic licet ſolutione facta debitorem ab obligatione liberet, tamen excluditur actione mandati.

LIX.

Secunda quando fidejuſſor non obligandi ſibi debitorem ſed donandi animo intercedit *d l.* §. *ſi paſſus 2. ff. mand.* Donare videtur quod nullo jure cogente conceditur *l. donare ff. de R. J.* inde hinc à contrario ſolet dici, quod nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit *l. rem legatam 18. ff. de adim. vel transfer. legat. Petrus Nicol. Mozz in tract. de contract. n. 4. de donation.* ſi igitur ex pœnitentia donationem retractare & actionem mandati intẽdere vellet non auditur, quum illud quod ab initio erat voluntatis poſtea neceſſitatis factum *l ſicut 5. C. de oblig. & act.* & nemo animum & conſilium in alterius injuriam mutare poteſt, *l. nemo poteſt ff. de R. J.*

LX.

Tertia Pactum de non petendo cum principali debitore inſtum actionem mandati inſtitutam firmiter excludit *l. 3. ff. de except.* nec immeritò, cum quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt, *c. quod ſemel de R. J. in 6.* & nihil tàm fidei humanæ congruum qua mea quæ ſemel placuerunt ſervare *l. 1.* §. *1 ff. de pact.* aliàs turpe eſt fidem fallere *l. 1. ff. de conſtit. pecun.*

LXI.

Quarta ſi pro minore fidejuſſerit & ſolverit ex ea obligatione Minore enim reſtituto, non datur adverſus eum actio mandati nec beneficium reſtitutionis minori factum fidejuſſori arridet vel ſuccurrit *l. in cauſæ 13. ff. de minor. Magnif. & Amplisſ. Dn. D. Domin. Arumæus Ord narius in exercit. Juſtin. 13 th. 14.*

LXII.

Minorem hic non intellectum volo, qui ſe majorem dixerit *arg. l. 101. ff. de V. O. & t. t. C. ſi min. ſe maj. dix.* aut dolo circa contractum verſatus fuerit, nemini enim calliditas ſua prodeſſe debeat *ſed etſi 11. ff. ad exhib.* ſed eum qui ob imperfectum adhuc judicium in contractu læſus fuerit. Læſio autẽ non dimetitur quæ caſu fortuito & eventu ſiniſtro ſupervenit obligationi utiliter & prudenter ab initio contractæ *l. verum 11.* §. *ſciendum 3. ff. de minor.*

LXIII.

LXIII.

Obiter tamen obſervandum eſt dolus hic non attendi qui de Jure bonus ſed malus appellatur, datur enim duplex dolus, quorum alter permittitur alter prohibetur, & malus conſiſtit in mente doloſa, bonus in re *l. 16. §. 4. ff. de minor. l.1.§.2.ff. de dol.mal.* Veluti ſi quis fundum haſtæ ſubjectum majori precio, quod tempore contractus juſtum eſſe duxi, venderem, emptor quoq; rei emptæ æſtimationem hanc ut juſtam approbat eamque ſolvit, poſtea verò apparet ſe in re ipſa circumventum eſſe nimirum quæ vilioris precii eſſet, proinde ad reſcindendũ contractum agens non auditur, ſibi potiùs habet quod imputet, quod non cautiùs mercari didicerit *l. in civilem 2. C. de furt.* limitandum tamen niſi læſio facta ſit ultra dimidium juſti precii *l.2. C. de reſcind. vend.* hic nulla eſt excuſatio juſtæ æſtimationis quæ tantam ſummã excedit, quin hic doloſus animus interfuerit haud dubitetur, modicum quidem ignorare quis poteſt, nec modicum etiam adeo curat Prætor *l.4. ff. de in integr. reſtit.*

LXIV.

1. Irregulariter ante ſolutionem inſtituit fidejuſſor actionem mandati, & quidem hiſce ſubſequentibus caſibus. *Primus* eſt, quando principalis debitor bona ſua dilapidare cœperit, *l.10. C. & l.38. §.1. ff. mand. Weſ. in parat. n. 6. h. t.* hic melius intacta jura ſervare quam poſt cauſam vulneratam remedium quærere *l. fin. C. in quib. cauſ. in integr. reſt. neceſſ. non eſt* & noſtra potius intereſt non ſolvere quam ſolutum repetere *l.3. ff. de compenſ.* Diſtingvit tamen *Gail. lib.2. obſerv. 29.* inter parvam & magnam dilapidationem quâ ad raſtrum res veniret.

LXV.

Alter irregularitatis eſt, quando ultrà deſtinatum tempus debitor diutius ſolutionem protraxerit *l.38. §.1. ff. mand.* hic

gibus expreſſis non determinatus relinqui debeat arbitrio judicis juxta *l.1.in fin.ff. de jur. deliber.*

LXVI.

Tertius eſt caſus irregularitatis ſi juſtiſſimæ cauſæ liberationis concedendæ efflagitent ad quarum claſſem DD. referunt peregrinationem ſtudiorum nomine inſtitutam. Studioſus vel in Academia vel in alio loco fortè patriâ, verſans pro alio obligatus, & ab una ad alteram Academiam evolaturus poteſt ante ſolutionem ad liberationem agere *Gail. lib.2.obſ.29.n.15.* Et *Hunnius* de hoc judicium ſuum communicaturus dicit etſi hæc peregrinatio ſtudiorum nomine valde dubitabilis, ſed quia res favorabilis & hæc opinio ſtudiis liberalibus amica idcirco indubium revocare nolit, faciunt hic *l.18.pr.ff.de jud. l.28.ff. ex quib. cauſ. maj. in integr. Auth. habita C. ne filius pro patr. l.7.§.13. ff. ad SCt. Vellej.* Hæc de ſolutione ut priori modo tollendarum obligationum ſufficiant.

LXVII.

Secundò liberantur fidejuſſores confuſione obligationum quæ tamen diſtinctione neque adhibita neque admiſſa perperam ſtatuitur, remitto igitur quemlibet *ad Bachov. ad Treutl. th. ult. h.t. ibi latè*, breviter tamen *Bocer. diſp.27.th.45.* Quando principalis debitor fidejuſſori ſuccedit & vice verſa perimitur obligatio fidejuſſoria *l. generaliter pr. l.14.24.ff. de fidej.* vel ſi creditor debitori hæres exiſtit vel fidejuſſor creditori; ultimo caſu obligatio in tantum expirat, ut nec actio mandati contra reum principalem competat fidejuſſori *l. hæres 21. §. ult. ff. de fidejuſſ.* ſed huic legi magnum contrarietatis ſpecimen in ſe habere videtur *l. ſi ei 11. ff. mand. quas Jul. Pacius in cent.7.q.39. ἐναντιοφανῶν* optimè decidit ſcribendo *in d. l.11.* Pomponium loqui de convento & creditori jamdudum condemnato fidejuſſore, & ideò datur actio mandati contra debitorem, quia revera pro eo ſolverat, *in d. l.12. §. ult.* Africanum de non convento nec condemnato, ibi fidejuſſor actionem ex ſtipulatu ut ſucceſſor Juris defuncti inſtituit.

LXIIX.

Tertiò finito tempore, ut: quando creditor cum principali debitore ita placite agit & terminum ſolutionis prolongit, fidejuſſor obligatione in diem obſtrictus liberatur, quamvis tempus per ſe & diſcretè ab omni juris vel facti adminiculo ſejunctum & conſideratum non limitet obligationem, tamen aſſiſtentia legis & conventio partium hoc efficit *l. 23. ff. de R. J. Ampliſſ. Dn. D. Riemer. p. m. præceptor poſt obitum perpetuâ ejus integritatis & ſingularis eruditionis memoriâ colendus Decad. 10. theſ. 4.*

LIX.

Quartò accedit modus tollendæ obligationis fidejuſſoriæ Novatio, quâ principalis ſolvitur ita & hæc, naturam enim principalis ſui ſapit acceſſorium, *c. acceſſorium de R. J. in 6.*

LXX.

Intelligo tamen Novationem non eam quæ ex conjecturis ſive circumſtantiarum ambagibus quibusdam inducitur, ſed quæ expreſſa voluntate & novandi animo conſtat *l. ult.* C. *de novat. §. præterea Inſt. quib. mod. oblig. toll. Magnificus & Ampliſſimus Dn. D. Georgius Frantzkius Exercit 11 quaſt. 10.* De reliquis modis diſſolvendarum obligationum aliquid, non eſt mei inſtituti; Ne igitur alius materiæ participem me faciam his enumeratis principalibus modis diſſolvendi im poſitus ſit finis.

COROLLARIA.

I.

Exceptio non numeratæ pecuniæ nón datur poſt biennium.

II.

Virtuti & honori, Doctiſſimi & Ornatiſſimi
DN. THEODORI GEBHARDI,
Sympatriotæ ac Fautoris ſui, quum ille, pro veteris Academiæ more, horis locoq́; ſolitis, merito ſuo, ſuorumq́; applauſu, de Fidejuſſoribus diſputaret, &c.

UT tellus veris protrudit tempore flores,
Ac hortos roſea fronde virere facit,
Sic tua de variis Juris Legumque tenebris,
Virtus hic juſti germinat arte Roſas,

Ex vero adfectu applaudebat
Joan-Georg. Pitzſch D.

F*ide: fideq́;* Fidejuſſores *discute: eorum*
an ſint digna fide; fide Gebharde; *vide:*
Pauci namq́; fide juſſores; *nomine plures;*
Falſæ haut vult fidei fidere vera fides.
Quin tanto ex ſtudio, Themis *alma* fidejubet, *amplum*
Juriſconſulti *nomen habere queas*.

Amoris & Favoris e.
Dn. Conſalino
l. mq́; p.
M. Adrian. Beyer/Eccleſiæ Jen.
Diac. Fac. Phil. Adj.
hodie Decanus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE